BS1145
.L3
V.11
1891

FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

SANCTISSIMÆ TRINITATI

DEO UNI ET TRINO.

Tibi, o sacrosancta Trinitas, et trina Unitas, offero meum, imo ex asse tuum refero reddoque tertium hoc trinumque in Prophetas opus. A te principium tibi desinet. Tuus sum ab utero, ubi me formasti ad imaginem et similitudinem tuam. Tuus ab ortu, ubi in nomine tuo baptizatus et renatus sum. Tuus a primo rationis usu, ubi te fide, spe et charitate, quas mihi in baptismo indideras, colere cœpi. Tuus ab adolescentia, ubi tuo instinctu, tribus Religionis votis me tibi volens lubensque astrinxi. Tuus a juventute, ubi sacerdotio tuo munere consecratus, unam trinamque Christi victimam, tibi quotidie ad hanc usque diem quasi juge sacrificium immolavi. Tuus a viro, ubi hosce meos labores et fructus quos mihi donasti, tibi dicavi; omnia studia, omnem doctrinam, omnem commentationem, tuæ gloriæ consecravi, optavique ut omnis mea actio, omnis passio, totaque vita non esset aliud quam continua laus tua. « Te enim decet hymnus in Sion, et tibi reddetur votum meum in Jerusalem, » *Psal.* LXIV; imo vero tibi silet hymnus in Sion, ut ait Psaltes : quia omnis laus nostra, præ te tuaque majestate, merum mutumque est silentium. Accipe trinam tui in meis hisce Commentariis imaginem, menti manuique meæ a te impressam. Edidi Pentateuchum, Paulum, Prophetas, puta Legem, Evangelium (hujus enim præco est Paulus), Prophetiam. Lex te Patrem legislatorem repræsentat : Evangelium te Filium incarnatum : Prophetia te Spiritum Sanctum, qui locutus es per Prophetas. Trimembre pariter est opus : Isaias refert te, o Pater æterne, quem vidit sedentem in celso et augusto divinitatis throno ! Jeremias calamitosissimus, ut ait Isidorus Pelusiota, te, o Christe, patientem adumbrat ! Ezechiel te, o Spiritus alme, in Apostolos et fideles effundendum vaticinatur ! Tua sunt, tua sunt, o sanctissima Trinitas, quæ es Pater luminum, fons omnis triadis, origo et causa omnium quæ fuerunt, sunt, erunt, et esse possunt ! Tu menti meæ ab olim te revelasti, ut te unum æstimarem et quærerem, cætera omnia velut exilia, inania et fugacia flocci ducerem et fastidirem. Talia enim ea reperit rex, mortalium Deo judice sapientissimus, qualia et pronuntiavit, dicens : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, » *Eccle.* I. Docuit me Doctor Gentium omnia arbitrari ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Auribus meis intonat Isaias : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.

0073007

Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, etc. : verbum autem Domini nostri manet in æternum, » *Isaiæ* XL, 6. Insonat mihi crebro illud Psaltis regii : « Vacate, et videte quoniam ego sum Deus : exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra, » *Psal.* XLV, 11. Quocirca aulas et auras fugio, silentium et secessum mihi jucundum, aliisque non inutilem sequor cum S. Basilio, Gregorio, Hieronymo, cujus sanctam Bethelehem ab eo in Palæstina sollicite quæsitam, ego Romæ inveni. Olim junior egi Martham, nunc in devexa ætate magis Magdalenam ago et adamo, memor brevis ævi, memor Dei, memor instantis æternitatis. Cellæ (quæ mihi fida amica, tota terra est charior, adeoque cœlum terrestre videtur, quale S. Bernardo visa est) silentis et solius sum incola : cellicola et musæi sacri assecla, cœlicola esse contendo ; sanctæ contemplationis, lectionis, scriptionis otium, imo negotium persequor ; Deo uni et trino, ejusque oraculis et inspirationibus excipiendis, meditandis, celebrandis incumbo ; ad Christi pedes sedeo, ut ab ore ejus pendulus verba vitæ hauriam, quæ deinde in alios effundam. Quid enim dignius, quid salubrius, quid sapientius, quid divinius, quam illi uni intendere, a quo omnia, ut dicas sapiasque cum Psalte : « Mihi autem adhærere Deo bonum est? » *Psal.* LXXII, 28, illi totum vacare, illi placere, illum cogitare, imitari, sequi : illum diligere, illum sonare more, ore et amore ; illum unum vita, lingua et corde laudare ; illum manu, calamo et mente celebrare? Hoc Angelorum continuum est opus, hic vitæ cœlestis prægustus, hæc æternæ beatitudinis inchoatio ; nimirum Deo uni et trino contemplando fruendoque insistere, eique cum Seraphinis præ stupore et veneratione oculos pedesque velantibus, jugiter concinere : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth : plena est omnis terra gloria ejus ; » atque cum Apostolo exclamare : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! » o sacra Trinitas, et trina unaque deitas, quam incomprehensibilis, quam investigabilis es ut in confessione veræ sempiternæque deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas. Ex te, per te, in te sunt omnia : « Totus Pater, ait S. Augustinus, in Filio et Spiritu Sancto est : totus Filius in Patre et Spiritu Sancto est : totus quoque Spiritus Sanctus in Patre est et Filio : nullus eorum extra quemlibet ipsorum est : quia nemo alium aut procedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas, » S. Augustinus *De Fide ad Petrum*, lib. I, cap. I ; S. Athanasius in *Symbol.* Tanti enim est Filio gigni, quanti Patris gignere ; tam augustum Spiritui Sancto spirari, quam Patri et Filio spirare : spirando enim eamdem numero accipit essentiam et majestatem, quam habet Pater et Filius. « Te ergo unum in substantia, Trinitatem in personis, confitemur. » Te invocamus, te laudamus, te adoramus, spes nostra, salus nostra, honor noster, o beata Trinitas. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, in sempiterna sæcula. Te Deum Patrem ingenitum, te

Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et ore confitemur et benedicimus. Verum quibus te elogiis celebrem, quibus nominibus compellem? conceptus vocesque hominum et Angelorum in immensum transcendis, et caliginem habitas inaccessibilem, ideoque magis casto, ut ait S. Dionysius, es veneranda silentio, quam exili depressæ mentis celebranda eloquio. Tu Numen τριπρόσωπον, Triformis relatio, Divinitatis triangulus, Natura trigemina, Majestas trisagia, Trias τρισμακάρια, Tripartita hypostasis, Personarum ternio, Triumviratus (ut ita dicam) ὑποστάσεις. Quibus ideis, parabolis, similitudinibus te repræsentem? Omne nostrum simile, tuo multum est dissimile. Omne tui in terris vestigium, tantum a te distat quantum creatura a Creatore, umbra a corpore, nihilum ab ente, finitum ab infinito. Si infantibus balbutire licet, adeoque congruit ; si ima summis, humana divinis componere ; si nostris mentibus te per nostros conceptus, species, formas, licet admodum difformes, aliquatenus effingere ; tu Tridigitus παντοκράτωρ, Deus trismegistus, Speculum trifaciale, Mens tripotens, Parelius trilustris, Sol trifulgidus, Anima tricorpor, Fulmen trisulcum, Gladius triceps, Arbor trifida, Triphyllum paradisi, Ignis triflammeus, Lampas trilucens, Dioptra triquetra, Concentus τρίφωνος, Triglyphum elegantiæ, Tricolon pulchritudinis, Trigonum alpha, Triglotton eloquentiæ, Tribrachium potentiæ, Trivium sapientiæ, Trioculus providentiæ, Arx τρίεμβολα, Triclinium ambrosiæ, Triremis abyssi, Tripodium æternitatis, Trivertex celsitudinis, Triculmen gloriæ, Tridens creationis, Tripes substantiæ, Tristegum cœlorum, Triradius lucis, Iris tricolor, Manus τριδάκτυλος, Fons τρίσωμος, Frons tricornis, Hasta tricuspis, Adamas trigemmis, Funis trinodis, Licium trilix, Trimodium entis, Tristrophon essentiæ, Trimetrum latriæ, Tricoronis imperii, Tripolis universi, Tricosmus magnificentiæ יהוה Trinus Jehova, Trinum α et ω.

Tu rerum, tu principium, tu terminus idem ;
Filius, æterno proles æquæva parenti ;
Amborum communis amor, cœli aurea flamma,
Spiritus ignipotens, implens ardoribus orbem.
Unum numen, idem tribus, et tribus, una voluntas,
Majestas, natura eadem, tribus una potestas.

Alius enim est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus ; non tamen aliud. Et vice versa, hi tres unum sunt ; non tamen unus. Quælibet enim persona, per se una est, ideoque unus : sed unum, sive unitas essentiæ est in tribus personis, et in singulis, integra. Explosus est jampridem, et in seipsum illusus sponte disiliit Abailardi error, qui in SS. Trinitate ponebat gradus personarum, contra quem sublimiter S. Bernardus : « Ille, inquit, digne, pro sua possibilitate divinam æstimat magnificentiam, qui nil in ea cogitat dispar, ubi totum est summum : nil distans, ubi totum est unum : nil hians, ubi totum est integrum :

nil denique imperfectum vel egens, ubi totum est totum. Totum nempe est Pater, quod Filius et Spiritus Sanctus. Totum Filius, quod et ipse et Pater et Spiritus Sanctus. Totum Spiritus Sanctus, quod et ipse et Pater et Filius. Et totum, unum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis : nec enim verum summumque bonum quod sunt, inter se particulariter dividunt; quoniam nec participaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt, » Epist. 49 *ad Innoc. Pontif.* Quod admirans et profunde venerans S. Augustinus : « Scio tibi, inquit, o Trinitas, integre nota es; Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis et superinenarrabilis, et superinaccessibilis, superincomprehensibilis, superintelligibilis, superessentialis, superessentialiter exsuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem essentiam supercœlestium animorum : quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est, etiam oculis Angelorum, » in *Soliloquis* cap. XXXI.

Porro licet SS. Triadis opera, æque ac natura, potentia, mens et voluntas sint indivisa, tamen ob affinitatem proprietati personæ cujusque congruentem, recte Patri, ait D. Thomas I part., *Quæst* XLV, art. 6, attribuitur omnipotentia; filio omniscientia, quia ipse est Verbum et idea Patris; Spiritui Sancto summa et immensa bonitas, quia ipse est notionalis amor Patris et Filii. Rursum : «In Patre, ait S. Augustinus, est unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium ; connexa omnia propter Spiritum Sanctum, » lib. I *De Doctr. Christ.* cap. v. Insuper Patri ascribitur æternitas, Filio veritas, Spiritui Sancto charitas; Patri providentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto ordo et unio ; Patri creatio, Filio gubernatio, Spiritui Sancto conservatio; Patri prædestinatio, Filio redemptio, Spiritui Sancto sanctificatio; Patri vocatio, Filio justificatio, Spiritui Sancto glorificatio; Patri purgatio, Filio illuminatio, Spiritui Sancto perfectio; Patri præterita, Filio præsentia, Spiritui Sancto futura, Patri principium, Filio medium, Spiritui Sancto finis et terminus. Nam, ut ait S. Bernardus serm. 80 *in Cant.* : « Sanctissima Trinitas loca omnia continet, et quæque suis ordinat locis, nusquam contenta locorum; tempora sub ea transeunt, non ei : futura non exspectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur. » SS. Trinitas enim est immensitas, cui omnis locus, summus, medius, imus; et æternitas, cui omne tempus præsens est et coexistit, ac consequenter præteritum ei non præteritum, sed præsens est; futurum ei non futurum, sed præsens est. Quocirca perfecta Trinitatis cognitio, plena sapientia et vita æterna est : cui proinde suspirans S. Gregorius Nazianzenus in hymno ad Deum, ita canit :

O viva Trinitas! te unum canam monarcham,
Origo cui nec ulla est, versio nec ulla.

idem, *orat.* 40, SS. Trinitatem vocat « trium infinitorum infinitam conjunctionem. Vix unum, inquit, animo concepi, cum tribus circumfulgeo. Vix tria distinguere incipio, cum ad unum statim sublimis feror, etc. Unum splendorem cerno, utpote qui lumen unitum distinguere aut dimetiri nequeam. » Nam, ut idem ait in carmine *de Spiritu Sancto*, in SS. Triade est monas, ideoque monarchia, quæ concordiam; non polyarchia, quæ discordiam, lites et bella gignit. Toto ergo corde et ore celebremus triadem, adoremus monadem, benedicamus Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Jam vero SS. Trinitas seipsam Christo et nobis multipliciter communicavit, et trinitatem quamdam operata est, ac in dies operatur et communicat. « Tres sunt, ait S. Joannes, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra : Spiritus, et aqua, et sanguis : et hi tres unum sunt, » *epist.* I, cap. v, 7. Et S. Bernardus : « Sicut in illa singulari divinitate, trinitas est in personis, unitas in substantia : sic in ista speciali commixtione (in Christo) trinitas est in substantiis, in persona unitas. Et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit trinitatem : ita et hic persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus, opus mirabile, opus singulare inter omnia et super omnia opera sua. Verbum enim, et anima, et caro, in unam convenere personam; hæc tria unum, et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ, » serm. 3 *in Vigil. Nativit.* Benedicta sit ergo sancta Trinitas, atque individua Unitas; confitebimur ei, quia in Christo magnam fecit nobiscum misericordiam suam.

Creaturæ vero pendent a SS. Trinitate, sicut radius a sole. Pater enim est, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur : Filius, ex quo omnis filiatio progenies et propagatio : Spiritus Sanctus, ex quo omnis amor, omnis gratia, omnis liberalitas, omne donum. In homine autem, ait S. Bernardus, « est Trinitas creatrix, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio et voluntas. Et est trinitas, in quam cecidit impotentia, cæcitas, immunditia. Est trinitas, per quam resurgit fides, spes, charitas. Quæ trimembres habent subdivisiones. Est enim fides præceptorum, signorum, promissorum : est et spes veniæ, gratiæ et gloriæ : est et charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, » *serm.* 1 inter parvos. Pari modo S. Augustinus, lib. XI *De Trinit.*, sub finem, docet SS. Trinitatem sui imaginem expressisse in anima et tribus ejus potentiis : « Hæc, inquit, tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia. Quocirca hæc tria eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia : « sicut in Deo tres

personæ, sunt una vita, una mens, una essentia divina. Idem, initio lib. XII, ostendit vestigium SS. Trinitatis esse in corpore et in quolibet sensu. verbi gratia in visu, inquit, sunt tria, scilicet res visa, ipsa visio, et animi intentio. Et cap. v et xx, docet in solis justis esse perfectam Dei imaginem. « Hi enim soli, ait, vivunt secundum trinitatem interioris hominis, » quæ sita est in fide, spe et charitate. Jam sicut memoria parit intellectionem, intellectio amorem; et sicut fides parit spem, spes charitatem : ita Pater generat Filium, Filius cum Patre spirat Spiritum Sanctum. Rursum, imago aut vestigium SS. Trinitatis, ab ea impressum est soli; nam sicut sol spargit radios, radii calorem : ita Pater ex se spargit Filium, Filius cum Patre Spiritum Sanctum. Insuper arbori; sicut enim arbor ex radice profert ramum, ramus cum radice profert fructum : sic Pater profert Filium, et per Filium ac cum Filio Spiritum Sanctum. Imago est in Adamo, uti insinuat Nazianzenus *orat.* 39. Adam enim fuit ingenitus, quia formatus a solo Deo, qui mox ex Adamo plasmavit Evam; Adam deinde ex E a procreavit Seth : ita Pater est ingenitus, Filius ab eo genitus, per quem et cum quo producit Spiritum Sanctum. Imago est in anima, quæ eadem est in capite, collo et pectore, et ex capite per collum influit, et spiritus animales traducit in pectus : similiter enim eadem divinitas est in Patre, Filio et Spiritu Sancto, quæ ex Patre per Filium influit, et communicat se Spiritui Sancto. Imago est in oculo et speculo. Sicut enim idem objectum, verbi gratia idem numero, homo, per sui speciem est et apparet quasi triplex in tribus speculis, et in tribus oculis : ita eadem deitas est et apparet trina in tribus personis. Imago, eaque clarissima et præclarissima, est in venerabili Eucharistia. Sicut enim idem numero Christus existit in tribus hostiis consecratis, et hostiæ realiter a se invicem distinguuntur, cum tamen essentiam habeant plane eamdem, nimirum idem corpus Christi : ita eadem essentia divina existit in tribus personis, quæ in ratione personæ realiter differunt, cum essentiam habeant eamdem et individuam. Imago est in catena, ait S. Basilius, epist. 43 *ad Greg. Nyssen.* « Sicut enim, qui unius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul et alterum insertum attrahit : ita et hic qui Spiritum trahit, ut Propheta inquit, per ipsum, et Filium, et Patrem, una simul attraxerit. Hic enim nove et insolite est conjuncta discretio » notionum et proprietatum personalium, « ac discreta conjunctio » personarum in eadem numero essentia. Imago, ait idem ibidem, est in iride : sicut tres colores faciunt in circulo cœlesti iridem : ita tres personæ in deitate faciunt Triadem, puta unum Trinumque Deum. Denique SS. Trinitatis imago est quilibet spiritus, et quodlibet corpus : in spiritu enim trinitas est, natura, potentia, operatio : in corpore, materia, forma, proprietas. Vis amplius? Omnia in trinitate, puta in numero, pondere et mensura, creavit et ordinavit Deus. Quocirca Plato in *Timæo* censuit mundum factum esse per cubum ternarii, puta per viginti septem (cubus numerorum est, cum numerus primum in se, deinde in productum ducitur et

multiplicatur, ut ter tria sunt novem, ter novem sunt viginti septem), in quo omnis harmonia et consonantia consistit. Hinc et primitus Angelos trinis ordinibus distinctos, in trinis æque hierarchiis creavit, ut in eis primam sui, puta SS. Triadis, imaginem exprimeret. Nam ter tria sunt novem, ter novem sunt viginti septem, qui est cubus ternarii.

Da, Domine, ut in hisce tui vestigiis, ac præsertim in tui imagine, quam animæ nostræ impressisti, jugiter te intueamur. Da ut in memoria nostra, semper præsentem habeamus nostrum prototypum, Patrem æternum, ut ubique ejus recordemur et memoremur. Da ut in intellectu, verbo mentis nostræ, Verbum primævum, a quo omne verbum nostrum, cogitemus et sapiamus. Da ut in voluntate et amore nostro, Spiritum Sanctum, qui fontalis noster est amor, perenniter diligamus, ut in ea ipse quasi in templo suo sancto habitare, eamque ad omne bonum agere et impellere dignetur.

Hæc ineffabilia tua, o SS. Trinitas, mysteria Prophetæ a te revelante primi didicerunt, primi enuntiarunt, primi scripto posteris tradiderunt. Vidit Isaias Deum, non tantum qua unum, sed et qua trinum, visione illa admirabili et inexplicabili, in augusto solio residentem, ideoque pariter Seraphinos trisagio eum salutantes et adorantes audivit. Idem crebro discit docetque, Patrem Filio incarnato communicasse Spiritum Sanctum : « Ecce, inquit, servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi Spiritum meum super eum, » cap. XLII, vers. 1. « Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus, » cap. XLVIII, vers. 16. Et : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, » cap. LXI, vers. 1. Jeremias ab eodem sua, quæ proloqueretur oracula accipiens, obstupescens suam, trino suspirio et lamento, SS. Trinitati confitetur infantiam : « A, a, a, Domine Deus : ecce nescio loqui, quia puer ego sum, « cap. I, 6. Idem, trina terræ objurgatione, monet eam, ut trini Dei sui vocem audiat : « Terra, terra, terra, audi sermonem Domini, » cap. XXII, 29. Idem : « Creavit Dominus novum super terram : femina circumdabit virum, » cap. XXXI, 22. Et mox de Spiritu Sancto : « Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam (quod est opus Spiritus Sancti) : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum, » vers. 33. Ezechiel vidit SS. Trinitatem in curru gloriæ, quatuor Cherubinis stipatam, super thono sapphirino residentem, trina specie, hominis, electri et ignis. « Statura quoque erat rotis, et altitudo, et horribilis aspectus : et totum corpus oculis plenum, etc. Spiritus enim vitæ erat in rotis, » cap. I, 18. Idem assidue a Deo audit : « Fili hominis, hæc loqueris, » hæc vaticinaberis, ut repræsentet Filium Dei quasi legatum a Patre missum ad homines. Spiritus Sancti vero meminit, cum ait : « Et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam, » cap. XI, 24. Et : « Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, » vers. 19. Et : « Dabo vobis cor

novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, » cap. XXXVI, 26. Daniel tribus pueris in fornace Babylonica, repræsentat SS. Triadem, cujus ope in igne illæsi manserunt, cap. III : quocirca eidem hymnum insignem concinuerunt, cap. VII, 9. Idem : « Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit : vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda : thronus ejus flammæ ignis : rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei, etc. Et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient : potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur. Horruit spiritus meus, » vers. 9-15. Et rursum : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. » cap. IX, 24. Ungens enim est Pater; unctus, puta Christus, est Filius; unctio et oleum est Spiritus Sanctus. Tua ergo, imo de te sunt, o SS. Trinitas, hæc oracula, quibus te Prophetis revelasti, teque per eosdem nobis depinxisti. Da ut te in iis cognoscamus, revereamur, amemus, colamus. Da ut quicumque hasce in eos commentationes lecturi sunt, ex iis in tui amorem et venerationem accendantur. Te negant et lacerant Saraceni et Turcæ in Asia, schismatici in Africa, hæretici in Europa, pagani in India. Eia, Domine, tua virtute et gratia finem accipiant hæresis, schisma, mahometismus, paganismus : adveniat regnum tuum, sanctificetur nomen tuum sanctum tota Asia, Africa, Europa, India; ut totus orbis te confiteatur, te laudet, te celebret; ut omnes in idipsum uno ore parique concentu, jugiter tibi modulemur « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. » Gloria Patri, qui nos creavit : gloria Filio, qui nos suo sanguine redemit : gloria Spiritui Sancto, qui nos sua gratia sanctificavit. Gloria Patri, qui nos prædestinavit : gloria Filio, qui nos justificavit : gloria Spiritui Sancto, qui nos beabit et glorificabit. Atque hac fide et laude, mereamur te frui in cœlo, et in te vitam, regnum et gloriam æternam (quæ utique tu es) possidere tibique cum hierarchiis cœlestium spirituum, cum myriadibus, inquam, Angelorum, in omnes æternitates jubilemus : Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, uni et trino, in sæcula sæculorum. O sacra Trinitas, o trina Unitas, o una immensitas immensa charitas, chara veritas, vera suavitas, suavis felicitas, felix æternitas, Deus noster, amor et honor noster, jubilus noster, et omnia. Amen.

HIEROGLYPHICA

ET SACRA SYMBOLA

EX IV PROPHETIS COLLECTA,

ORDINE DIGESTA, ET BREVITER EXPLICATA.

EX ISAIA.

I. Cap. II, vers. 2. « Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes : quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium. » Mons hic hieroglyphicum est Ecclesiæ, quæ quasi mons omnibus collibus humanæ politiæ, sapientiæ, religionis eminet, ad quem confluxerunt gentes ex toto orbe : quia de Sion monte, ubi cœpit Ecclesia, exiit lex Christi, et verbum Evangelii, id est, læti nuntii de pace hominum cum Deo, et inter se : Christus enim nos Deo reconciliavit, ac sua lege docuit, et induxit homines ad pacem, ut positis armis unionem colerent et servarent. Vide dicta *Isaiæ*, II.

II. Vers. 22. « Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse. » Est hoc hieroglyphicum Christi, in quo ejus humanitas et ira significatur per hoc quod dicitur, « cujus spiritus in narribus ejus est, » *q. d.* Qui more cæterorum hominum per nares halitum attrahit, et respirat, ac iras naribus effiat : deitas vero per hoc quod vocatur « excelsus, » id est, ipsa celsitudo (ut habent Hebræa) et majestas summa ac divina.

III. Cap. IV, vers. 2. « In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel. » Hoc germen est hieroglyphicum Christianorum, et propaginis Ecclesiæ, quæ magnifice non tantum totum terræ orbem, sed et cœlum occupavit.

IV. Vers. 5. « Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte. » *q. d.* Sicut Deus Hebræos per desertum in Chanaan deduxit, viamque præivit in columna nubis per diem, et ignis per noctem, tutando eos ab æstu, pluvia et hostibus; ita pariter ipse Christianos e terra in cœlum deducet, tutans eos ab omnibus adversis die et nocte. Unde explicans subdit. « Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia. » Columna enim ignis et nubis fuit hieroglyphicum Spiritus Sancti, ejusque gratiæ et protectionis.

V. Cap. V, vers. 1. « Vineæ facta est dilecto meo in cornu filio olei, » id est, oleato, pingui et fertili. « Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular exstruxit in ea : et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. » Vinea hæc hieroglyphicum est Synagogæ Judæorum, quæ plantata et exculta a Deo protulit, non uvas, sed labruscas, id est, opera iniqua et impia. « Cornu olei » est Judæa robusta ut cornu, fertilis et pinguis ut oleum : seps est lex : turris est templum : torcular altare, etc.

VI. Cap VI, vers. 1. « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum : et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ alteri : duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. » Thronus hic fuit hieroglyphicum majestatis sanctissimæ Trinitatis. Unde Seraphini velant ejus faciem, id est, deitatem : et pedes, id est, humanitatem Verbi, puta mysterium incarnationis Christi, quod operata est tota SS. Trinitas, ideoque ei jugiter acclamant ter Sanctus. Porro Isaias hic a Deo per Seraphinos consecratur Prophetæ, ut utrumque hoc mysterium, scilicet tam Trinitatis, quam incarnationis prædicet : illudque non tam Judæis, utpote excæcandis et reprobandis, quam Gentibus, puta Christianis annuntiet. Unde subdit :

VII. Vers. 6. « Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade, et dices populo huic, etc. » Seraphim ar-